IOANNIS

RICHARDI,

ANTIQVITATVM DIVIONENSIVM, ET DE statuis nouiter Diuione repertis in Collegio Godraniorum, Liber:

AD IOAN. PATOVILLETVM.

Adiecti sunt ad calcem hendecasyllabi de Fortuna Reduce: & alij aliquot ferè ad easdem antiquitates eiusdem authoris spectantes versus imprimis funebres.





PARISIIS,
Apud Gulielmum Linocerium, in monte D.Hilarij, ad insigne Vasis aurei.

CIƆ. IƆ. XXCV.

CVM PRIVILEGIO REGIS.



LECTORI.



RVNT qui huic operi, quòd paucis paginis contineatur, obtrudent, quod est apud Callimachum in hymno Apollinis,

οὐκ ἄγαμαι τὸν ἀοιδὸν ὃς οὐδ' ὅσα πόντος ἀείδει.

Sed illi à me ex ſequentibus iſtis reſponſum ferant,

Δηοῖ δ' οὐκ ἀπὸ πάντος, ὕδωρ φορεῦσι Μέλισσαι,
Ἀλλ' ἥτις καθαρή τε, καὶ ἀχραάντος ἀνέρπει,
Πίδακος ἐξ ἱερῆς, ὀλύγη λιβάς ἄκρον ἄωτον·

Placuit iſtud potius, Aude aliquid breuibus gyaris; & me meis cancellis continere magis duxi. Quod verò inſcripſi Antiquitates Diuionenſes, ratio

ã ij

est, quod vetustam Diuionis originem, è saxis & lapidibus, imprimis posui ob oculos, non quòd de hac, tota sit tractatio, sed quòd imprimis. Ad calcem autem de Reduce Fortuna qui additi versus, ne quis existimet nouissimè, & post tumultus, quibus hodie Gallia vexatur, exaratos, sed stante vrbis fortuna, quibus si lynceos non habui oculos, & malè ex seruitiis & compeditis omne genus, liberũ & florentẽ nostrûm omnium statum sum auguratus, qui contra profligatum potius, depositum, perditum, ni respiciat Deus, natura & ingenio transcribat, infausta horrenti, speranti prospera. Vale.

IN ANTIQVITATES
DIVIONENSES A
Ioanne Richardo
æditas.

Effodiunt alij veteres tellure monetas,
Terra quibus magnas fossa recludit
opes.
Sed pretiosa magis cunctis monimenta
monetis,
Qualia Richardus *scripsit & ex-*
posuit,
Diuionum latuere solo quæ pluribus
annis,
Diuionum tollent vsque sub astra
decus.

IO. AVRATVS POETA
ET INTERPRES
Regius.

IN I. RICHARDI, VIRI SINgularis, singularem Antiquit. Diuio. Librum, Iani Edoardi du Monin EPIGRAMMA.

DIVIO diua quidem multis est credita signis,
Seu probet hoc diuûm nomine, siue suo:
Nunc, quæ iactarat se nomine, numine iactat
Ipsa suo, diis Diuio diua viris.
Sanguine de proprio, Diis est affine, renascit
Diuio seu proprio sanguine creta redit.
Nempe sepultum vrbis Lethæo funere stemma,
Nunc rutili captat lumina clara poli:
Auspiciis, Richarde, tuis, tua Diuio lucem
Nata recens captat, sanguine creta tuo.
Sanguine creta tuo dicetur Diuio, primas
Cui lucis cunas lumine mentis agis:
Nam postliminio antiquatam reddere gentem,
Quod facis, hoc gentem dico creare suam.
DIVIO sic duce te, proprio sata semine surgens,
Nomine diua suo, numine dia tuo est.
Ergo antiquatum recrees cum sedis auitæ
Tu decus, antiquet quæ decus vmbra tuum?

IN
ANTIQVITATES DIVIOnenses Iani Richardi, I. C. V. C.

ALTIVS obruerat terris annosa vetustas
Marmora: nesciuere Patres, multósque per annos
Obscuro iacuere solo. Dum fortè locanda
Fundamenta viris, doctas variata per artes
Effodere manus, antiquáque signa Senatus,
Seruíque in speciem, atque alios grandésque colossos,
Immanésque scapos, longóque ex ordine postes,
Qualia vix Latium steterant complexa figuris,
Ante forum, sua dum fortuna vrbique foróque.
Ergò per antiquas vrbes tua fama vagatur,
Diuio, præpetibúsque volat celeberrima pennis,
Iussa decus signis famámque æquare Quiritum.
Sed vobis adeò tota feriabitur vrbe,
Arte laborati lapides? aut luce statiua
Fas populo effossos veniens celebrare per æuum?
Dicite, Fluxit opus dubium, cælone peractum
Lysippi hoc quodcunque sumus, num fortè stupendum
Phidiacæ posuêre manus: melioribus vni
Contigit auspiciis nostrum sacrare futuris
RICHARDO nomen, serísque nepotibus olim.
Dum tamen ætatis nostræ monimenta reuoluit
Longiùs, & veterum mouet alta arcana parentum,
Innumeris nostro seclis antiquior ortu
Arguitur, nostræque adeò superesse senectæ.

NICOLAVS MICAEL.

IN IOANN· RICHARDI STAtuas, Fortunámque eius Reducem, Anton. MORISOTI Diuion. Carmen.

Hæc semesa vides qui saxa effossa ruinis,
Qui statuas truncas, inhonesto vulnere nares,
Et confecta situ monimenta, hem, siste: Richardus,
Ille Richardus amor Phœbi, cui lactea Pitho
Assidet, & Gallos, Græcos, Latiósque ministrat
Hybla fauos, seu metra canat, seu voce soluta
Intonet: ille (inquam) tantas struit ordine moles,
Saxosúmque chaos iubet alta in mœnia gentis
Surgere Diuiacæ, vincit quo Amphiona plectro.
Elicit inde sagax vrbis cunabula nostræ,
Dein tantæ gentis molem, pugnaciáque arma,
Discretósve greges seruorum, actore magistro.
Fœlix, ô decies fœlix mea Diuio! tantum
Te ciuem genuisse, tuos torpere veterno
Qui sinit haud tritauos, téque ipsam vindicat Orco!
Te ciuem genuisse, solum quo splendet auitum,
Quo viuunt rediuiua tui monimenta decoru,
Fortunam ac nobis Reducem fouet atque reducit.

ADLATRENT GANYMEDA CANES.

1584.

IN IOANNIS RICHARDI
Antiquitates Diuionenses,
ANAGRAMMA.

IOANNES RICHARDVS

ANNIS HIS DEO CHARVS.

Historicis magna est laudi, clarisque Poëtis,
Quòd res antiquas, omni quæ luce carentes
Tempore iam longo tenebris iacuere sepultæ,
Doctis illustrant scriptis, Diuúmque hominúmque
Acta celebrantes tollunt ad sidera famam.
Temporibus nostris alij inuenere monetas
Priscorum signis Regúmque Ducúmque notatas,
Diuio complures tales habet alma monetas,
Namque DEO HIS CARVS, RICHAR-
DVS *præbitor,* ANNIS,
Protulit hæc gratam in lucem monumenta reperta,
Non minor vnde illi debetur gloria famæ.

HIERONYMVS CAVELLATVS
Parisinus, ætat. 13.

IN ANTIQVITATES DIVIO-nenſes Iani Richardi.

Ecce venit iucunda tibi vindicta, libelle,
Richardi ſeruum nunc manumitte, licet.
Sis liber, ô liber. tibi nam à pretore paratur
Libertas. Ecquid charius eſſe poteſt?
Exſoluunt alij morientes iura patronis,
Aſt viuus debes ſoluere iura tuo.
Aut nunquam exſolues, aut non moribundus in æuum,
Qui viues, volitans docta per ora virûm.
Hoc age, ne perdat ſibi debita iura patronus,
Richardum præfer fronte, libelle, tuum.
Magna tibi fama eſt, magna & tua fama patrono
Debita, victurus per tua iura, vale.

Franciſcus Iulius in ſenatu
Prætoriano patronus.

IN ANTIQVITATES Diuionenses Ioannis Richardi in suprema Diuionensi Curia patroni, patris amantissimi atque obseruantiss.

IO. GIRARDI RICHARDI filij, 12. annos nati, Heptastichon.

Dum saxosa refers, (genitor) monimenta, nepotes
Dúmque doces ortus priscos, & stemmata auorum,
Inscribis solido victurum in marmore nomen,
Sed cui Messalæ, inuideat moles, tumulata,
Defossa, atque imis, terræ pridem abdita clathris,
Cùm solis steterit saxis, tua saxa tabellis
Prostent, æterna & longum mandata papyro.

G. LINOCERIVS BIBLIOPOLA, LECTORI.

Eximium hoc opus est, lector, multíque laboris,
Forsan & antiquis cedere nescit auis.
Quales Varronis sunt Macrobiíque labores,
Tales Richardi: pagina sed breuior.
Scilicet est aliquid complecti plurima paucis,
Indice me, virtus hæc fuerit potior.
Tu quicunque leges, tibi sit venerabilis autor,
Nec nos, quisquis eris, neglige: nostra opera est.
Sicut enim debes vni hæc monimẽta RICHARDO,
Hoc nobis debes quòd maculis careant.

ERRATA.

In epist. ad lecto. ἥιυς repone ἧλις. item vbi λιβαί repone λίβας. Alia prætercurrerunt: sed ea, lector, operis transcribes.

SVMMA PRIVILEGII.

REGIÆ maiestatis priuilegio cautum est, ne quis Ioannis Rchardi Antiquitatum Diuionensium librum citra GVLIELMI LINOCERII Bibliopolæ voluntatem ante decennium imprimat, aut alibi impressum importet, venalémue habeat. Qui secus faxit, præter librorum confiscationem indictam, ii pœnis mulctabitur, quæ regio diplomate exprimũtur, abrogatis etiam literis aliis huic priuilegio contrariis.



IOANNIS RICHARDI ANTIQVITATVM DIVIONENSIVM LIBER,

Ad Ioannem Patoüilletum.



Cio te, rerũ optime, de nostris lapidibus audiisse, quos hîc dũ terræ aluum fodimus, eruimus. Nam quid te lateat antiquitatis, quamlibet in tuo rure agas, & illi incũbas, solutus & discinctus, vt Cincinatus? His (quod necdũ ex libris,) discimus, antiquam nostrã vrbem, nec ita de repẽte: vt optima ratio-

ne Gregorius Turonenſis, quibus de ea locis mētionem ingerit, miratus ſit, ſua ætate Caſtellū dictam, cùm oppidi potius, ſeu vrbis munitiſſimæ nomen mereretur.

Sunt ſtatuę ex ſolido lapide duę, vna in ſerui ſpeciem & habitum, qui præ manibus acerram geſtet, cum hac inſcriptione,

---REGALIS
MEL. SATT.
LIB.

Altera in ſpeciem Senatoris lato clauo obuoluti, brachio exerto, & reiecta in humeros veſtis lacinia, vti Lazius veterum Aboriginum pingit, pariter cum inſcriptione, ſed cuius literæ fugientes, vt capi non poſſint. Eſt vetuſtus lapis in coloſſi modum, ad quem iſta,

I. O. M. ꝫ.

FORTVNÆ REDVCI.
PRO SALVTE ITV ET
REDITV FL .TIB.
VÆERIS
N.
CARANTILLVS SERV.
ACTOR EX VOTO
POSVIT

V. S. L. M.

Primam illam nullus adhuc expreſſit, poſteriorem iſtam multi variè efferũt, in illis verbis, *SERV. ACTOR*. Nam alij *ſeruus actor*, alij *ſeruorum actor*. Item in iſtis literis *V. S. L. M.* Nam alij *Voto ſoluto locauit monumentum*. alij *Votum ſoluit lubens merito*. Verũ quod ad illam primam, valeat vti poteſt coniectura; ego in hunc modum

lego, *Gregalis*, *Melicerto*, *Saturno*, *Libero*, explicóque, Gregalis serui effigiem, ad Fortunę positam, quæ aliis diis, in eodem nihilominus Fortunæ fano, Melicerto, hoc est Portumno, nauigationis deo, Saturno, & Libero, bonis aliis Diis supplicaret, pro reditu Tiberij Veteris.

Quod ad hanc postremam, in qua procliuior coniectura; ego iis potius assentior, qui seruũ actorem legunt. Item iis qui explicant, *Voto soluto locauit monumẽtum*, nẽpe *actor seruorum*, nullibi: & cùm serui nullum caput habeant, ipsi in manu domini sint, quî actor eorum, hoc est ab iis cõstitutus, posset inueniri? Et actorem seruorum dicere liberum hominem qui seruis coëmundis præesset, non esset planum. Verùm actoris serui va-

rij &paſſim loci,in libris noſtris:in l. legat. ff.de leg.j. *Legato generaliter relicto velut i hominis, nec optimus nec peſſimus accipitur. Itaque homine legato actorem non poſſe eligi.* In l fi.ff. de off.præf. *Præſes cùm cognoſcat de ſeruo corrupto vel ancilla deuirginata, vel ſeruo ſtuprato, ſi actor rerum agentis,corruptus eſſe dicetur, vel eiuſmodi homo vt non ſola iactura aduerſus ſubſtantiam,ſed totius domus euerſionem pertineat* (εἰς τοῦ οἴκου ἀνάτροπὴν,) *ſeueriſſimè debet animaduertere.* Et Inſtit.de iniur.§. fi. *Qui gradus condẽnationis & in ſeruili perſona non immeritò ſeruatur, vt aliud in ſeruo actore, aliud in medii actus homine, aliud in viliſſimo & compedito ius æſtimationis conſtituatur.* Quo loco Accurſius ſeruum actorem vocat *Caſtaldum* ſiue *Caſtaldionem* à Caſtaldia fortè & feudo Caſtaldiæ,

de quo in vſib. Feudo. tit. de Feud. Gard. & Caſtald, Quod eſt feudũ ad tempus mercedis loco datũ & pro meritis, pro aduocatia fortè vel pro alia geſtione: Cuiuſmodi ferũtur feuda Nucerij in hoc Ducatu. Theophilus διοικήτην, οἰκέτην τῆς δεσποτείας, hoc eſt diſpenſatorem & adminiſtratorem dominicę rei. Vt & alibi ſeruus actor, *diſpenſator*; in l. diſpẽſatori ff. de ſolut. *Diſpẽſatori qui ignorãte debitore remotus eſt, ab actu rectè ſoluitur.* Et in *l.* 35. Caij Caſſij ff. de fideicõmiſ. libert. *Caij Caſſij nõ eſt recepta ſentẽtia, exiſtimãtis hæredi & legatario remittendã interdum proprij ſerui manumittendi neceſſitatem, ſi vel vſus ſerui eius tam neceſſarius eſſet, vt eo carere non expediret, veluti diſpenſatoris, pędagogíue ſui, ſiue liberorum.* ſic enim lego cum veteribus, nõ vt nouiter excuſi per-

uerſe habent, *pædagogiue liberorum.* vt pædagogus in ſuo & natiuo ſiſignificatu accipiatur, nempe non pro literatore ſeu inſtitutore, ſed pro comite,. qualis comes matronæ; in l.j.ff.de iniur. *In corpus ſit cùm quis pulſatur, ad dignitatem cùm comes matronæ abducitur*. Qualiter apud Ioſephum Caynus Dominum alloquens, negat ſe pædagogũ fratris, aut rerum eius obſeruatorẽ. A quo Pædagogian⁹ puer apud Ammianum; *Stetit itaque ſubtabulus, eruꞇum putares ab inferis, nuſquam reperto paludamento, tunica auro diſtincta, vt regius miniſter indutus à calce ad pedem, in pædagogiani pueri ſpeciẽ, purpureis opertus tegminibus pedum.* Et Pædagogia, huiuſmodi puerorum cœtus; in l. quæſitum. §. ſi inſtructum. ff. de inſtruc. *Si inſtructum fundum legaſſet, ea pædagogia quæ ibi*

habebat, vt cùm ibi venisset, præsto essent in triclinio, legato continentur. Et pædagogium, illud triclinium in quo pædagogiani pueri morabantur. Plinius in Epistol. *Puer in pædagogio mistus pluribus, dormiebat.* Quo loco pædagogum puerũ reddit, vt vulgò Græcis hoc genus παῖς, à quo pædisci, & pædiscæ, Grammaticis malè pedisequi, & pediseq; Latinis passim & omnibus item, puer. Cic. in Epist. famil. lib. 3. Epist. 17. *Cùm puer tuus ad me secunda vigilia venisset.* Quod vocabulum Ronsardus vertit *Page.* vt profectò quos sic vocamus, de hoc genere sunt, noménque hinc seruant tãquam tralatitium & deductũ, & à quo sic *Marcipores & Lucipores* pueri huiusmodi & pędagogi, dominici nominis etiã parte donati, qui liberti facti ipsum domi-

ni ſortiebantur nomen, & prænomen, vt duo liberti Ciceronis, M. T. Tyro & M. Tullius Laurea. Et Claudij Imperatoris libertus Pallas Claudius, à quo Senatuſcōſultum Claudianum, quod Tertullianus in lib. de Reſurrectio. *Si familiam tuam libertate mutaueris, & veſtis albæ nitore, & aurei anuli honore, & patroni nomine ac tribu honoratur.* Pręcipui quoque & iſti ſerui, vt patet in illa l. in qua Pędagogus perinde atque Actor ponitur. Et eodē loco, quo itidem atque actore, domini carere interſit, ſed nō omnino vt actores, imo potius infra illos, & ab actoribus & artificio, & dignitate, & ętate, diſtantes, cùm iunior pædagogus, iccirco puer, verùm ſeruus actor ſenior: Cuiuſmodi ſeruus Abrahę, Gene. xxiiij. *Dixítque Abraham ad ſeruum ſenio-*

rem domus suæ, qui præerat omnibus quæ habebat (*Hebræus cōtextus Hamosel,*) *qui dominabatur omnibus rebus quæ ei erant*. Quemadmodum in Comicis, (nam & sunt serui Comici:) Plautus in Captiuis,

Nunc certa res est, eodem pacto vt
Comici serui solent.

Pręcipuus quoque seruus, πάππος & πόλιος, apud Iulium Pollucem in Onomastico, ὁ μὲν παππῷος μέσος τῶν γεγηρακότων πόλιος καὶ δῆλοι ἀπελεύθεροι. ad differentiam μέσου, καὶ τελείου, scilicet iste inter seruos dominus, vti & hoc verbum *Senior*, passim sonat in c. Imperialem. extr. de pace tenēd. in vsi. feudo. *Per multas enim interpellationes ad nos factas cognouimus milites sua beneficia passim distrahere, ac ita omnibus exhaustis, seniorum seruitia subterfugere*. Et in scripturis, *Congrega seniores ciuitatis*. A quo

vocabulum noſtrum Gallicũ *Seigneurs*,& quod genus porro *Erotes*; in iſta inſcriptione Aſſiſij ex Lipſio,

P. DECIMVS. PL.
EROS MERVLA MEDICVS
CHIRVRGVS OCVLARIVS.
VIVIR.

Et in alia antiqua,

AVRELIVS EROS
VNCTOR.

Vti eros Ciceronis, de quo ad Atticum, *Sed ego erotem ad iſta expedienda factum, mihi videor reliquiſſe, cuius non ſine magna culpa, vacillatum, ſed cùm ipſe videro:* vbi Io. Bapt. Pius malè adnotat legẽdum, *Herodem*, vt de Philoſopho intelligatur. Sed iſtud appoſitè de ſtatuis in ſua vrbe, hoc eſt Bononię, effoſ-

ſis,ad quas hęc inſcriptio,*C.Verres diſſignator*. Quo loco quoq; prima fronte putabam malè acceptum *diſſignator*, accipiendúmq; *diſpenſator*,ni me alter hic Ciceronis locus ſecus admonuiſſet Epiſt.famil.li.1. *Rupæ ſtudium non defuit deſiderandorum munerum tuo nomine.Sed nec mihi placuit, nec cuiquam tuorum te abſente fieri, quod tibi cum veniſſes, non eſſet integrum*, nempe in illa inſcriptione, diſſignatorem rectè legi, ſcilicet pro ſeruo muneris deſignatore, domini nomine,quod & ſeruorum iſtorum pręcipuorum præter alia quoque erat munus,& quò iſtud Horatij de Arte,

Intererit multum,Dauúſne loquatur
an Eros.

Et Virgilij in Moreto,

Ergo aliam molitur opem ſibi prouidus heros.

In quibus perperam & Aſcenſius & Eraſm'& Dionyſius Lambinus vir apprimè doctus, & Cruquius & Pulmanus, denique omnes hęſerunt, & hallucinati ſunt, dũ ali' in illo loco Horatij legẽdũ putat, *Dauúſne loquatur an heros*. alius, *Dauúſne loquatur an herus*. alius, videlicet Eraſmus, *Dauúſne loquatur an Jrus*. alius, *Dauúſne loquatur herúſne*. alius, *Dauúſne loquatur Eróſue*. Dúmq; in huius vocabuli *heros* ſignificatione ſubſiſtunt, & quod in aliquibus libris cum aſpiratione, in aliquibus ſine aſpiratione ſcriptum inueniatur, etiam in illo loco Virgilij pro arbitrio interpretantur, alius pro heroe, alius pro domino, pro ſene alius. Deinde & quę interpretatio eſt Lambini, poſtrema & noua, magis ad verã accedens, pro ſeruo frugi, cũ non vi-

deant, siue cum aspiratione, quę facilè obrepere potuit, vt in *onustus*, quod vocabulum aliquando legitur *honustus*, apud Virgilium:

Hunc tu olim cælo spoliis Orientis
honustum
Accipies secur:---

& aliis innumeris: siue sine aspiratione illis locis *Eros* legatur, significare hoc genus seruum pręcipuú, & actorem, vt qui ponatur ad differentiam Daui, hoc est serui vulgaris, qui non est de genere honestorum. Quod vidétur intellexisse Ceualerij fratres, in Gallica sua versione Virgilij, cùm in illo loco Moreti verterunt, *Le rustique Seigneur*, fortè hoc seniorem illum seruum designantes. Quod nomen *Eros*, licet à Græco verbo Ἐράω tractum esse verisimile est, & à quo fortè *Erotidia* apud Thespesios, de qui-

bus Athenæus: Vt dicatur isti serui imprimis amati & dilecti, vti in scripturis, *Seru' Domini dilectus Dauid:* Tamē postquam in proprium istorum seruorum nomen transiit, vti transiit, vt patet in nostro iure passim vbi de huiusmodi seruis fit mentio, in l. Idem Pomponius .s. fi, *Si plures sint eiusdem nominis serui, putà plures erotes*, &c. & aliis locis. Iam non curādum, origine correptam habere debeat primam, necne, vt à recepta in veteribus omnibus lectione recedamus quæ habet cum prima longa.

Atque in hunc modum, in hac nostra inscriptione Actor ponitur ad differentiā illius serui gregalis, (sic enim optimè lego,) hoc est vulgaris, & qui erat de grege, quemadmodum Cicero contra Pisonē, vocat seruū de grege; *Iámne vides*

bellua, iámne ſentis, quæ ſit hominum querela frontis tuæ? Nemo queritur Syrum, neſcio quem de grege nouitiorum factum eſſe Conſulem? Vt & milites vulgares, *gregarij*. Apud Suetonium, *Nam cùm ſpectaculo ludorum gregarium militem in tredecim ordinibus ſedentem excitari per apparitorẽ iuſſiſſet.* Et apud Ammianũ, lib. xxv. *Sed ſub columellis tabernaculi parcius cœnaturo* (Iuliano ſcilicet) *pultis portio parabatur exigua, etiam munifici faſtidienda gregario*. Et apud Appiani interpretem in Parthicis, *Cum obedientia beneuolentiam, pariter apud omnes claros, obſcuros, præfectos, gregarios*. Vt & in iſto quoq; loco Ammiani, lib. 27. *Sub idem quoque tempus Valentiniano ad expeditionem caute, vt rebatur, profecto, Alemannus Regalis, Rando nomine, diu præſciens quod cogitabat Moguntiacum*

tiacum, præsidiis vacuam, cum expeditis ad latrocinandum latenter irrepsit, corrupte existimo scribi *Alemannus* Regalis, Rādo. Nam id quo sensu & vbi gentium pro seruo, & vili, imò pro prædone & latrone Regalis? legendúmque *gregalis.* Item in hac quæ adhuc prostat in solo Romano, éstque in via quæ ad Neapolim,

L. VARRONIO L. F. PAL.
CAPITONI. SCRIBAE
AEDILIC. ACCENSO
VELATO. II VIRO
QVINQVENN. CV-
RATORI VIARVM
PATRONO COLO-
NIAE.
ORDO ... REGALIVM
QVORVM HONORE
CONTENTVS SVA PE-
CVNIA POSVIT.

Dico vbi eſt lacuna, fuiſſe literam G iam vetuſtate exeſam atque abolitam, vt in hac noſtra huius *gregalis*, legendúmque atq; accipiendum *gregalium*, cùm & in ea ordinem quoque gregalium pateat poni ad differentiam ſerui accenſi & velati, Scilicet hoc genus ſerui actoris & pręcipui, qui ius pilei habebat, & cui etiam gregales monumentum aſtruebant, qui propter dignitatẽ vocabatur *accenſus*, & quòd domino ad hoc erat miniſterium. Qui locus me quoque atque obiter admonet, vnius apud Ciceronẽ malè hactenus áb omnib⁹ accepti atq; intellecti, reſtituẽdi, Epiſt. famil. lib. 3. epi. 7. vbi *Victorius*, Lambinus, denique omnes habent, *A Pauſania, Lentuli liberto, accenſo meo, audiui*: addubitántque (nec id ſine optima ratio-

ne) quî hic Pausanias libertus Lẽtuli) & tamen accensus Ciceroni, nec se de hoc tandem, & post velitationes multas, scrupo expediũt, cùm tantum viri alioqui doctissimi, & perspicacissimi non videant, corruptè in hũc modum legi, legendúmque ex vetere codice, cuius literam profert Scelsius, *A Pausania Lent. liberto accẽso meo*; vt intelligatur, *A Pausania Lente, aut Lentisco*, nimirum sic cognominato, & quem Cicero libertũ suum accensum dicat, non *à Pausania Lẽtuli*, quod nullo, verùm peruerso atque alieno, sensu.

Vti & in illo Institutionũ loco ponitur *seru᷑ actor*, ad differẽtiã hoĩs, hoc est serui (nã homo seruũ sonat in l. fi. ff. de off. præf. præ. & ĩ l. leg. à quo hoĩm seruitiũ.) medij actus; quo vult intelligere mediastinũ,

aut mediocris figuræ seruum, cuiusmodi seruus, in l. Si quis argentum. §. similíque modo, C. de donat. ponitur medius, inter eos seruos qui omnẽ seruorum familiã antecellũt, qui scilicet actores: & seruos quos non habere magis quã habere prodest, & quos Festus receptitios, & de quibus in l.j.in fi. ff.de quæst. vbi textus *libẽter & facilè dominum tali seruo cariturũ*, æstimatúrque quindecim solidis. vt & in l.fi.C. de cõdit. in serr. hæc quoque serui æstimatio, in l.fi.C. com, de legat. in princip. pro varia seruorum cõditione, & ætate quoque varia, si sine arte maior annis decẽ, solidis viginti; si minor, solidis decẽ: si artifex, vsque ad solidos triginta, si notarius, quinquaginta: si medicus, sexaginta: si eunuchus, minor annis decem, vsque ad triginta, maior non artifex, vsque ad

quinquaginta, artifex, vsque ad septuaginta Hodie in immensum: Vt in nauticis ponitur exercitor, seu magister nauis, ad differentiam remigis, seu mesonautę in l. j. ff. nau. caupo & stabul. *Sed in exercitore solummodo prætor sentit, nec enim debet, vt ait Pomponius, per remigem, aut mesonautam obligari, sed per se, vel per nauis magistrum.* In cauponariis, institor, qui quoque in isto genere actor, ad differentiam mediastini, atriarij, seu focarij. In eadem l. *Caupones autem & stabularios æquè accipimus, qui cauponam vel stabulum exercent, institorésue eorum. Cæterum qui opera mediastini fungitur, non continetur.* In rusticis, quod & aliud genus, distinctum nempe ab vrbanis seruis, loco, opere, verùm (& quod notatu in primis dignum) cibariis, in l. seruis vrbanis. ff. de

legat.2. Vbi dicitur, ex cibariis apparere quo quemque seruorũ habuerit loco paterfamiliâs, an loco vrbani serui,an rustici. Et in l. vrbana famil.ff.de rer.& verb.signif. Vbi pro *vicariis* legẽdum cibariis, quod adnotauit iureconsultorum phœnix,Cuiaci⁹;fortè quòd vrbanis panis ex frumento,istis ex hordeo,vt & gladiatoribus & secutoribus,à quo ipsi hordearij : & buccellatum,à quo quoq; buccellarij, qui postmodũ adseculæ, vt in veterib⁹ glossis, *Adsecula buccellarius.* Et apud Gregorium Turonẽsem, *Ocylla buccellarius Aëtij*,qui corporis custodes, verùm armati, stipatores, aliàs percussores, vulgò *des tueurs* & *gẽs de seruice*,vt nõ ita pridẽ *Assassini*: quos plurimos etiã hodie aliqui ex nostris nobilibus fouent, & quos haberi prohibuit

Imperator in l. fi. C. ad leg. Iul. de vi public. *Omnibus per ciuitates habendi buccellarios, vel Isauros, armatósque seruos, licentiam volumus esse præclusam.* quod buccellatum verè esca vilis, ad cuius fortè differentiam *tucetum*, quæ esca regia, apud Callimachum,

--- *ambrosio redolent tuceta sapore.*

& apud Persium,

---*pingues patinæ, tucetáque crassa.*

Vrbanis fortasse potio *camum* vel *ceruisia*: rusticis *sabaia*, à qua iniurio sè & per ludibrium Valentinianus Imperator aliquãdo *Sabaiarius* dictus, apud Ammianum, lib. 27. vbi sabaiam esse ex hordeo vel frumẽto in liquorem conuerso, pauperum in Illyrico potum. Cuiusmodi fortè zythũ, in l. Si quis vinũ legauerit. ff. de vin. trit. & ole. legat.

vbi dicitur zythum, eſſe quod in quibuſdam prouinciis ex tritico, vel hordeo, vel ex pane conficitur, potionis genus, à quo forte quod in Normania *ſyſtre*, & *cælia*, de qua hiſtoria Miſcella in deſcriptione Numantinæ obſidionis, cùm ait, larga iſtius cæliæ potione prius vſos obſeſſos milites, hac calefactos alacriores & fortiores ad pugnam proceſſiſſe. Vnde & vrbana quoq; diaria, ad differentiam ruſticorum; Horatio,

Cum prius vrbana diaria rodere mauis
Horum tu in medium voto ruis.

In iſtis inquã ruſticis villicus, qui & idem dominus, à quo per tranſlationem præfecti vrbium villici,

Pegaſus attonitæ poſitus modò villicus vrbi.

ad differentiam ſcopiarij, topiarij,

pastoris saltuarij, & id gen°, in l. vj. ff. de instru. fūd. Quod Columella lib. 7. ca. 6. *Nam & ipsi diripiunt, & ab aliis furibus non custodiunt, sed nec conditū cum fide rationibus inferunt. Ita fit vt actor & familia peccent, & ager sæpius infametur.* nēpe sub nomine familiæ gregales omnes rusticos seruos illo loco intelligit, vt sub nomine familię circum imperatorem milites munifices, qui eodem ordine quoque quo gregales. Tertullia. de Corona, *Est & alia militia regiarum familiarum. Nam & castrenses appellantur munificæ, & ipsæ solemnium Cæsarianorum.* Et in cap. 8. *Itaque præmoneo, ne villicum ex eo genere qui corpore placuerunt, instituamus.* Et deinde, *Idémque alteri præcipiendum est, ne conuictum cum domestico, multóque minus cum extero habeat, nonnumquam tamen*

eum quem assiduò sedulum & fortem in operibus cognouerit, honoris causa mensæ suæ die festo dignetur adhibere. Appellat Cicero atrienses: *Sed vt in magna familia seruorum sunt alij lautiores, vt sibi videntur, serui atrienses, sed tamen serui.* Quo vno dissoluit atque enodat quod multis glossa ad istud Iustiniani, Institut. de iure personar. §. fi. *In seruorũ conditione nulla est differentia.* Et Plinius in Epistolis, *Inest huic computationi sumptus supellectilis, sumptus Atriensium, Topiariorum, Fabrorum.* Nisi vno nomine atriensium, omnes seruos notæ honestæ intelligamus, hoc est actores. Nã & hi præcipui. Item pædagogos seu pædagogianos pueros. Adde etiam monitores & nomẽclatores: de quo genere Horatius,

Mercemur ſeruum, qui dicat nomina, læuum
Qui fodiat latus, & cogat trans pondera dextram
Porrigere.---

Ab atrio, ſeu limine, quod illud triclinium, de quo modò diximus, noſtris *antichambre*, quòd in iſto triclinio, ſeu diribitorio, domino apparere & prẽſto eſſe deberent, atque in eo ſemper agere; iſti honeſti ſerui. A quo iidem Apuleio in ſecundo De aſino aureo, *Serui ad limina*: Germanis *Portiers*. Et apud Virgilium in 2. Æneid.

---fraúſque ad limina cuſtos.

Nam & aliâs hoc genus ſerui cuſtodes, in ruſticis ſcilicet, in l. Si mihi. ff. de leg. 3. vbi diſtinguũtur à mãcipiis; inſularij in vrbanis, ab inſulis, quæ ſunt vrbanę domus,

quod olim diuisæ esse solerent, nec vt hodie, vna contignatione iunctæ. Vnde colligere sit, atrienses de solis seruis vrbanis dici, iisque honestis, nō etiam de vllis rusticis. Vt & veterani & veteratores serui, (nam hoc istorū promiscuum est nomen,) de solis quoque dicuntur vrbanis, in l. fi. §. quoties. ff. de publica. verùm non de honestis, sed vilibus, addictis vili ministerio, & venalibus, vt in illa l. patet, & in l. præcipiunt. & l. fi. ff. de ædil. ed. in quibus diuersimodè ista veterana, seu veteratoria mācipia distinguūtur à nouitiis tum spatio, (quod est in illa l. fin. §. quoties. de public.) vt sint veterana mancipia, serui qui ex venalitio alicui ministerio præpositi sunt. Quæ ratio est, quod in illo §. quoties. dicatur, veterana necesse non esse profiteri,

& pro his vectigal non solui, scilicet cùm pro his quo tempore erant nouitij, iam fuerit solutum. Quæ Accursij mẽs ad illum §. quoties. sed quam benè, non exprimit, dicũtúrq; veterana, seu veteratoria, mãcipia trita, quæ difficile est reformare, ad suos formare mores, ad quorũ iccirco emptionem non ita decurratur, vt nouitiorum, quæ vt rudia, & simplicia mancipia, iccirco ad ministeria aptiora, & dociliora quod & in illa l. Præcipiunt. vbi ob hanc causam vetantur interpolari pro nouitiis veteratores: Habebántq; isti serui actores sub se, vicarios seruos, qui sibi parerent: Apud Horatium,

Siue vicarius est qui seruo paret, uti mos
Vester, ait, seu conseruus.

Quod est quoque in l. vij. ff. de pe

cul. *Si ſeruus meus ordinarius vicarios habeat, id quod mihi vicarij debent, deducã de peculio ſerui ordinarij.* Vbi notandum eſt, & ad iſtorum vicariorum differentiam dici ordinarios. Iſti vicarij aliâs adiutores, quorum ex facto ſcilicet teneantur actores, ſiue ordinarij, ĩ l. Si Sticho libertus. §. Item quæro. ff. de ſtatu lib. Ad quam iſtud, *Factum ſeruorum adiutorum nocet ſeruo diſpenſatori.* Et ad eorum exemplum ſub Tiberio & actor publicus & ſeruus publicus, in lib. 2. hiſtor. de Libone, *Mancipari ſingulos actori publico iubet:* quemadmodum in legibus Caroli paſſim *actor fiſci.* Et in libris noſtris, *actor reipublicæ*, hoc eſt à republica ordinatus, qui eius iura proſequitur, in l. Si municipes. ff. quod cuiuſque vniuerſ. Et in legibus Viſegothorum; *Actor loci,*

lib. vj. cap. de maleficis & consulentibus eos, *Vbicunque à iudice, vel actore, vel procuratore loci, reperti fuerint vel detenti, ducentis flagellis verberentur.* Et qui apud Cedrenum in Zenone Isauro, ἔκδικος τῷ ιϛ ἔτη φήληξ ἐν τῷ νάῳ τῶν ἁγίων ἀποστόλων πέτρου καὶ παύλου, σύνοδον ποιήσας, δύο ἐπισκόπους καὶ ἔκδικον ἔπεμψεν, ἐν Κωνσταντίνου πόλει, γράψας Ζήνωνι, καὶ Ἀκακίῳ, ἐκβαλεῖν πέτρον τὸν Μόγγον ὡς αἱρέτικον τῆς ἀλεξανδρείας. vbi malè interpres ἔκδικον, vertit executorẽ. Demostheni περὶ λειτουργ. σύνδικος, quod genus Bud. in annotationibus in Pandectas, *A singulis vrbibus missos patronos ad caussam vnius prouinciæ tuendam.* item *ad quos publica negotia deferuntur.* Et ex quibus etiam hodie Geneuæ summus magistratus & rerum capitalium.

Patétque vel ex inſcriptionis ſitu & forma, à ſeruo poſitam fuiſſe, cùm nomen ſuum, poſtquã nuncupationem & nomen domini poſuit, facto interuallo & interſtitio, ſummiſſiore loco inſcribat. Qualiter in hac inſcriptione, quã ex eodẽ Lipſio prompſi, quæ eſt ſeruitiorum quoque ad dominum,

IMP. CÆSARI DIVI NERVÆ TRAIANO AVGVSTO GERM. DACICO PONT. MAX. TRIB. POT. VIII. IMP. IIII. COS. V. PP. OPTVMO PRINCIPI.

SAGARI THEATRI MARCELLI. CVLTODES DOMVS AVGVSTAE.

In

In qua, pace Lipſij, puto ſcriptum fuiſſe macelli, non Marcelli, ſcilicet à macello foro, vt ab hoc per ludibrium Imperator Leo Magnus dictus *Macellus*, cùm hoc nomen *Marcellus* ſeruis non conueniat, ſed fortibus potiùs & ingenuis Plutarcho, qui Marcellum bellicoſum ἀρήιον, vt dicatur Marcellus, quaſi Martellus, hoc eſt paruus Mars, (quod Sigonius.) A quo Carolo illi Martello Franciæ vulgò principi dicto, Caroli Martelli nomē: niſi legamus *Marcelli* pro *Marculi*, ex quodā Martialis epigrammate, vbi *marculi ærariorum*, hoc eſt ſerui, quorum factio in ære cudendo, ſeu cogendo. Ad quod hæc inſcriptio apud Pallonios Romę, quam refert Pierius in Annotationibus ad Virgilium.

L. LEPIDVS LIB. HERMES NEGOTIATOR AERARIVS.

Vt hoc quoque ſit nomen ſerui inter gregarios pręcipui, ad exēplum actoris inter honeſtos: cùm & aliâs actor idem negotiator, in l. legatis. de legat. 3. *Legatis ſeruis exceptis negociatoribus Labeo ſcribit, eos legato exceptos videri qui præpoſiti eſſent negotij exercendi cauſſa, veluti qui ad emendū locandum præpoſiti eſſent: cubicularios autem vel obſonatores* (hîc nota Macellos) *vel eos qui piſcatoribus præpoſiti ſunt, nō videri negotiationis appellatione contineri.* Vt iſti ſcilicet primo loco ponantur, deinde ſagari, & theatri aut theatricī (lubet enim interpretari vt dicat Euthymus,

quod Isocrates ait se nescire) vænalitiarij, & theatrorum purgatores, hoc est omne genus, & viles etiam serui, nimirum notum est saccariæ, siue sagariæ nomen, apud Apuleium in de Asino aureo libr.1. *In eam contulit operulas etiam quas adhuc vegetus saccariam* (alij *sagariam*) *faciens merebat.* Quæ sagaria negotiato in l. procuratoris. §. si plures. ff. de tributo. vt puta, *Duas negotiationes exercebat, putà sagariam & lintcariam.* Et in l. Cum duobus. §. quidam. ff. pro soc. *Quidam sagariam negotiationem inierunt.* Vnde sagari, seu saccari, & à quo (vt existimo) vocabulum Gallicum *Saccars*, qui vulgò Vespillones dicti, à sagis aut sacciperiis ex peste mortuorũ colligẽdis & deportãdis. Notũ etiã *Catharsiõ*, in theatris & cõcionib⁹,

quod genus fiebat minutis porcellis,& quod munus qui obibāt, vocabātur lustratores & purgatores theatrorū, vt adnotat Cælius, lib. 27.ca.27. Isti Græcis *peristarchi*, nostris *theatrici* seu *theatri*. Quæ mea est sententia, & quibus existimo me illa verba *macelli, sagari, theatri*, planè explicasse. hoc addito, quòd isti serui se dicunt cultores domus Augustæ, intelligendos esse ex vrbanis seruis, nēpe qui à nostris definiūtur, quos paterfamiliâs circū se, hoc est in vrbe cultus sui caussa habet, in l. Cū quæreretur. ff. de legat. 3. scilicet ab hoc cultu cultores.

Nec moror duo hîc nomina inscripta seruo, scilicet prę̨ter nomē, prę̨nomen Numerij. Nam illam literam N, Numerij sonare dico, ex Diomede qui Numerij prænomen

hac litera passim designatum fuisse scribit. Et scio olim seruos non habuisse prænomina; solis hoc ingenuis peculiare fuisse. Quod est in l. Cùm precum. de lib. caus. in istis verbis, *Tamen nomini cognomen quo liberi duntaxat nuncupantur, addiderit.* Ad quod istud Horatij,

---gaudent prænomine molles
Auriculæ.---

Et istud Ammiani, lib.28. *Prænominum claritudine conspicui quidam, vt putant, in immensum semet extollunt, cùm* Reburri, *& Flabinij, & Pagonij, Gerionésque appellantur, & Dalij cum Tarraciis & Parrasiis, aliísque ita decens sonantibus originum insignibus multis.* Et in quod olim eleganti Epigrammate Gallico lusit *Claudius Turrinus,* coætaneus & amicus meus, interceptus in prima iuuenta, quod extat in eius Gallicis ex-

cusis. Alia præterea nomina seruorum, vt *Dauus*, *Damas*, *Stichus*; alia ingenuorum, vt *Publius*, *Caius*, *Martius*, *Hostius*, *Anitius*. Propria scilicet ista ingenuis, atque adeo, vt serui ea assumere non possent. Quod istis notat Gellius, lib. IX. cap. X. de Græcis, *Athenienses nomina iuuenum fortissimorum, vt* Harmodij *&* *Aristogitonis, qui libertatis patriæ recuperandæ caussa Hippiam tyrannum interficere erant adorti, ne vnquã seruis inderentur, decreto publico sanxêre, quòd nefas ducerent, nomina libertati patriæ deuota, seruili contagio pollui.* Nõ mirum, cũ referat Plutarchus, in Lycurgo, captos aliquãdo Laconum seruos, cũ iuberẽtur versus Terpãdri, Alcmani, aut Spẽdonis canere, recusasse, quòd dicerẽt, liberorum has esse cantiones, nõ seruorũ. Alia turpia,

vt *Vespillonis*, quorũ ferẽdorũ cõditio in super habetur: alia honesta, vt Accursij, qui ab accurrẽdo dubiis *Patoüilleti*, quĩ à patẽte olea, & si lubet etiã *Richardi*, qui à reb⁹ ritè arduis, quorũ ferẽdorũ si sit cõditio, ei prorsus pareri debet, ĩ l. facta. §. si verò. ff. ad Trebell. Sed istud de seruis vulgaribus & gregariis, imò de mãcipiis semirasis, rupicib. & ferratilib⁹, vt Plau. vocat, anulatis, literatis, vt Apul. intelligamus, De emptis è lapide, ꝙ genus Aristot. σώματα, hoc est corpora, quib⁹ mercedẽ ait esse cibũ, refértque inter instrumẽta φώνικα, vti in nostro iure passim, qui scilicet vna cũ his instrumẽtis veniãt & vęneãt, fũdo cũ instrumẽto vẽdito aut legato. ĩ l. 1. C. de priui. cor. qui ĩ sac. palat. milit. li. 12. *Cum vniuersis nobilibus & mancipiis vrbanis*. Et de bon. vacant. lib.

x.in l. 2. *Cum adiacentibus & mancipiis, & pecoribus, & fructib'*.Et in l. Qui habebat. ff. de legat. 3. Γλυκυτάτῃ μοῦ πατρίδι βούλομαι εἰς τὰ μέρη αὐτῆς δοθῆναι, ἀφορίζω αὐτῇ χωρία, πάντα ὅσα ἐν Συρίᾳ κέκτημαι, σὺν πᾶσι τοῖς ἐνοῦσι βοσκήμασιν, δούλοις, καρποῖς, ἀποθέτοις, κατασκευαῖς πάσαις. vbi obiter notandum, non ſatis ſcitè verti ἀποθέτοις, *vſu cõſumptibilibus*; melius vno verbo, *depoſitis, vt depoſita* ſignificent perdita ea quæ pro perditis haberi debent, vt ferè vſu cõnſumptibilia: quemadmodũ apud Virgiliũ;

Ille vt depoſiti ploraret fata parentis,

hoc eſt perditi, vt notat Nonius. Et vt in Nouella 120. habitationes depoſitæ, quę antiquæ & ruinam minantes. Et in tit. de confir. digeſt. *defoſſa & depoſita*, hoc eſt, abſumpta, à dubia ſcilicet in reddẽdis depoſitis hominum fide, verùm

nequiſſimorum,in quos Iuuenalis,
Nūc ſi depoſitū non inficietur amicus,
Si reddat veterem cum tota ærugine
follem,
Prodigioſa fides, & Tuſcis digna tabellis,
Quæq; coronata luſtrari debeat agna.

Non etiam de illis ſeruis propemodum dominis, hoc eſt actoribus.Item de aliis honeſtis. Porrò non ſemper & paſſim hunc obtinuiſſe morem, verùm ſenſim deſciuiſſe, vt cætera, & prænomina quoque meruiſſe ſeruos, perinde ac liberos, quod Varro de lingua Latina, lib.vij. *Nam quotuſquiſque iam ſeruos habet priſcis nominibus? Quæ mulier ſuum inſtrumentum atque vaſa auri veteribus nominib' appellat?* Qui vel ſolus locus abundè ſatis eſt. Et Numerij olim plebeiū & ſeruile nomen, priuſquam à gē-

te Fabia assumeretur; Apud Festum, *Numerius prænomen nunquam antè fuisse in patritia familia dicitur, quamuis Fabius qui vnus post tres & trecentos ab Hetruscis interfectos superfuit, inductus magnitudine diuitiarum vxorem duxit, Octacilij Maleuentani, vt tum dicebatur, filiam, ea conditione, vt qui primus natus esset, prænomine aui materni Numerius appellaretur.* Quod & Valerius, *Numerio sola patritia vsa est Fabia, idcirco quòd trecentis sex apud Cremeram flumen cæsis qui vnus ex ea stirpe extiterat, ducta in matrimonium vxore filia Numerij Octacilij Maleuentani, sub eo pacto vt quem primum filium sustulisset, ei Numerij prænomen imponeret, obtemperarit.*

Quòd verò potiùs accipi sentio, *Voto soluto locauit monumentum*, hæc est ratio, quòd in vo-

tis concipiendis non ſatis erat olim polliceri, ſed & atteſtatione & inſcriptione voti opus erat; nec aliter dicerentur Vota nuncupata. Quod eſt apud Sextum Pompeium de votis publicis, his verbis: *Vota nuncupata, dicuntur quæ Conſules, Prætores, cum in prouinciam proficiſcuntur, faciunt, hæc in tabulas præſentibus multis referuntur.* Deinde Sanctra, libro ſexto De verborum antiquitate, *Satis multis nuncupata intelligit non de recto nominata ſignificare, ſed promiſſa, & teſtificata, receptáque.* Quod etiam in votis concipiendis conuenientius. Et quod quoque Geneſ. 28. vbi de voto Iacob; *Vouit etiam votum, Iacob* ſcilicet, *dicens: Si fuerit dominus mecũ, & cuſtodierit me in via per quã ego ambulo, & dederit mihi panẽ ad veſcendũ & veſtimentum*

ad induendum, reuerſúſque fuero proſperè ad domum patris mei, erit mihi dominus in Deum, & lapis quem erexi, in titulum, vocabitúrque domus Dei, cunctorúmque quæ dederis mihi, decimas offeram tibi. Nempe illo loco Hebræus contextus non habet *titulum*, ſed *Neebal*, quod ſonat *ſtatuam*, verbum emphaticum: quę ſcilicet monumẽtum eſſet voti, & in qua voti, & nuncupati, & deinceps ſoluti, eſſet inſcriptio. Vti quoque monet *Caulæus* in ſuo *De antiqua Romanorum religione*, quem Gallicè ſcripſit, priſcos Romanos ſtatim atque vota concepiſſent ſiue priuatim, ſiue publicè, atque in primis pro ſalute Imperatorum, quæ eorum natalitia Tertulliano *principales proprietates*, Tacito *Imperatorum ſolemnia*, & quę ſingulis quinquenniis, decenniis, vi-

cenniis,& tricenniis, anno ineunte & Kalendis Ianuariis fiebant, de more, in futurum, præteritis solutis, vt scilicet in alterum quinquennium, seu tricennium, Deus Imperatorem incolumem seruaret, publicè in singulis prouinciis, præeunte præfecto, seu magistratu, militibus sequentibus, & iusiurandum pręstantibus, deinde prouincialibus etiam iurãtibus, quod est apud Plinium in Epistolis, *Vota, Domine Imperator, priorum annorum nuncupata, alacres lætique persoluimus, nouáque rursus curante commilitonum & prouincialium pietate suscepimus.* Et in alia Epistola, *Præiuimus* (ait de se Plinius) & *commilitonibus iusiurãdum more solemni præstantibus, & prouincialibus qui eádem certarunt pietate, iurantibus*, iccirco quinquennalia, vicennalia, tricen-

nalia, & illi Calendarum dies, cõſueti; in l. Oẽs dies. C. de fer. *Calendarum quoque Ianuariarum conſuetos dies otio mancipamus*, (quod notatu dignum.) Vbi inquam hæc vota concepiſſent, conſueſſe iubere illa in marmore deſcribi, imò de iis cudi agalmatia, hoc eſt imagunculas, vulgò *des medailles*, cuiuſmodi plurimas in medium profert & repræſentat Seueri, Criſpi, Iuliani, Conſtantini, Maximiani, Diocletiani, in hunc modum:


SEVERVS.



ANT. GETA.



CRISPVS.



IOAN. RICHARDI
IVLIANVS.



Credo, vt quamlibet in futurum vota concepta eſſent, his quodā-modo ſe votis damnatos intelligerent, qui feciſſent, ne quid in his mutare poſſent, (quod in votis præcipuū) ne pœnitere, quemadmodum refert Iuriſcōſultus in promiſſis reipublicę, poſtquam cœptū eſt opus non licere pœnitere, ſed vel ex hoc cœpto promiſſorem ad implendum eſſe aſtrictum, in l. 1. ff. de pollicitat. ſeu vt ſuam potius pietatem poſteris teſtarentur, vel

voti

voti toto illo quinquennio, seu decennio, omnes admonerentur, tandem aliquando & sua die persoluendi, ídque etiam atque etiam in votis habendi, vt istæ literæ V. S. L. M. post reditum Tyberij insculptæ intelligi debeant, quo scilicet tempore, pro eius profectione, itu, & reditu, antè nuncupatum, solutum est votum, incolumi eo reuerso, & vt soluti extaret monumentum in seros nepotes.

Et quo hi lapides effossi loco, existimo olim templum Fortunæ extructum fuisse. Nempe Pausanias, qui de Græcis ciuitatibus scripsit, nullas ferè memorat, saltem alicuius nominis in quibus nó referat templa huiusmodi Fortunæ extructa & erecta, sua etiam memoria culta & celebrata, in Corinthiacis, *Est prætereа Corinthi For-*

tunæ ædes, cuius signum recto statu, e Pario lapide. In Atticis de Megarésibus, *Iuxta Fortunæ ædes est ipsa dea à Praxitele elaborata.* In Eliacis, *Suum est etiam apud Eleos Fortunæ templum.* In Bœoticis de Fortuna apud Thebas, *Proxime Fortunæ ædes, fert dea Plutum infantem, callidum sanè commentum in manus Fortunæ tanquam vel matris vel nutricis Plutum ponere.* Rursum in Corinthiacis de Trezeniis, *Fortunæ ædem omnium quæ apud se sunt recentissimam dicunt. Stat deæ colossus è Pario lapide.* Et de Argiis, *Supra Nemæi Iouis Fortunæ fanum est perantiquum, in quo inuentas à se primum tesseras Palamedes dedicauit.* Et Dionysius Halicarnass. Seruium memorat Romæ sub ipsa vrbis initia duo Fortunæ erexisse templa, vnum Bonæ For-

tunæ, in foro boario; alterum Fortunæ Virili, in ripa Tyberis. Multo plura Plutarchus, ſcilicet poſtquam eius domeſticam ac veluti aſſeclam Fortunam recenſuit, quæ ad eum per domus feneſtram delaberetur (à qua porta feneſtella) ait eum primùm in Capitolio templum erexiſſe Fortunę Primogeniæ, quaſi natu grandiori; deinde Obſequenti, Priuatæ, Viſcatæ, in palatio; Virginali demum, ad Fontẽ muſcoſum, cui poſtea moris puellarum virginum deferre togulas: Arnobius, *Nubentium crinem cœlibari haſta mulcetis, puellarũ togulas Fortunã defertis ad Virginalẽ.* Poſtremò Reduci; ad quã iſtud eiuſdẽ Arnobij, *Quid illi ſibi volũt ſecretarũ artiũ ritus, quib' affaminin eſcio quas poteſtates, vt ſint vobis placidæ, neq; ad ſedes remeãtib' patrias obſtacu-*

la impeditionis exponant. Vt Muliebrẽ Fortunam omittamus. De qua Liuius, Decad.1.lib. 2. *Non inuiderunt laudes ſuas mulieribus viri Romani, adeò ſine obtrectatione alienæ gloriæ viuebatur. Monumento quoque quod eſſet templum Fortunæ Muliebri, ædificatum dedicatumque eſt.* Et Præneſtinam, cuius templũ primus Præneſte extruxit Sylla pauimento ex lithoſtrato, hoc eſt paruulis cruſtis, vt notat Plinius. Cuius generis in noſtra hac vrbe hodierno etiam die viſitur in ſacello quodam perantiquo ad ædem Diui Benigni. Comperimúſque nouiſſimè ego & lectiſſimi viri Antonius Moriſotus & Nicolaus Hubertus inter deambulandum in diuerſorio quodam ad ripam Oſcharæ, quod eſt ſanctæ Margaretæ. Et Equeſtrem apud Antium, quę poſtmodũ etiam

Viſcata dicta fuit, ſiue ἰλακτηρίη, hoc eſt attractrix. Et vulgatam illam Auream, quam imperatores in cubiculis ſuis habebant, mittebántque ad ſucceſſores, cùm ſe fato premi ſentirent: Vt reuera miſit Ludouicus XI. Carolo VIII. cùm valetudine grauatus, ſe adeuntes ad Carolum amandabat, ſcilicet à ſe iam non Rege ad Regem. De qua Fortuna Aurea, ſeu Regia, Spartianus in Seuero, *Fortunam deinde Regiam, quæ comitari principes, & in cubiculis poni ſolebat, geminare ſtatuerat, vt ſacratiſſimum ſimulacrum vtrique relinqueret filiorum. Sed cùm videret ſe perurgeri, ſub horam mortis iuſſiſſe fertur, vt alternis diebus apud filios imperatores in cubiculis Fortuna poneretur.* Vt cui ſcilicet deæ omnia ſua ſiue proſpera ſiue aduerſa accepta referrent.

Quod ille idem Pausanias, dum in Messeniis ait, Bupalum quendam, præstantem templorum ædificandorum fingendorúmque animalium artificem primum Smyrnæis Fortunæ statuam fecisse φερέπολιν, hoc est polum in capite sustinētē, & altera manu Amaltheæ tenentem cornu. Et in Achaïcis, dum laudat Pindarum, quòd vnam è Parcis Fortunā fecerit, magnámque deam terra potentem, & mari. Quo loco hos Pindari intellexit versus, Carmine 12. Τῶν ὀλυμπ.

Λίσσομαι παῖ Ζηνὸς ἐλευθερίου,
Ἱμέραν εὐρυσθενέ' ἀμ-
φι πόλει σώτειρα Τύχα,
Τιν γὰρ ἐν πόντῳ κυβερνῶνται θοαὶ
Νᾶες, ἐν χέρσῳ τε λαιψηροὶ πόλεμοι,
Κ' ἀγοραὶ βουλαφόροι.

Quos Horatius istis retulit de Antiana Fortuna,

O diua gratum quæ regis Antium
Præsens vel imo tollere de gradu
Mortale corpus, vel superbos
Vertere funeribus triumphos,
Te pauper ambit sollicita prece
Ruris colonus, te dominam æquoris
Quicunque Bithyna lacessit
Carpathium pelagus carina,
Te Dacus asper, te profugi Scythæ,
Vrbésque gentésq;, & Latiũ ferox,
Regúmque matres barbarorum, &
Purpurei metuunt Tyranni,
Iniurioso ne pede proruas (frequens
Stantem columnam, neu populus
Ad arma, cessantes, ad arma
Concitet, imperiúmque frangat.

Itaque verisimile est, priscos quoque Gallos his templis in suis ciuitatibus nõ caruisse, imò passim habuisse, cùm scribat Cæsar, nationẽ Gallorũ omnium imprimis deditam religionibus.

Porrò templum fuiſſe non Vulgaris Fortunæ, ſed Reducis, cuius antiquiſſimum priſcis illis & ex vetuſtiſſima memoria numen, patet ex illo Plutarchi loco de Seruio Tullio, ex illo Arnobij, item illo Geneſ. de voto Iacobi, quod verè eſt pro itu & reditu Deo, non Fortunæ, ſed ad cuius exemplum & iſta Fortunæ, Reduci iccirco dictę, vti *Apollo Terminalis*, apud Horios, quòd finibus vel armis, vel iure potiti, Apollini iſti vota facerent, & ſoluerent, quod idem Pauſanias in Corinthiacis.

Monet verò Lilius Giraldus, huiuſmodi Fortunæ Reduci delubra & templa imprimis in precio fuiſſe tempore Domitiani, vt ab hoc demùm multa comperiantur numiſmata Imperatorum, in quibus ex vna parte ſit Imperatoris

imago, ex aduerſa, hæc inſcriptio, *Reducis Fortunæ*. Quò iſtud Martialis,

Hic vbi Fortunæ reduci fulgentia latè
Templa patent.

Et ad quod Claudianus,

Aurea Fortunæ Reduci ſi templa priores
Pro reditu vouêre Ducum, non dignius vnquam
Hæc Dea pro meritis amplas ſibi poſceret ædes.

Quibus adducor, vt credam tempore Domitiani, & ante Domitianum noſtram hanc vrbem non ſteτiſſe ſolùm, verùm celebrem etiam fuiſſe, in qua & hoc Fortunæ templum, & in qua ciues fuerint nobiles, cordati, & præpotentes, fulti clientibus, & ſeruitiis, qui & auxiliares copias ad extraneos mittere, ipſi ſuppetias ire, exercitus tranſ-

ducere potuerint, vel in longinquas oras, fabulæque mihi instar est, imò anilis, quod de tribus Diis, qui vrbi nostræ nomen dederint, & qui Aureliano vt cōditori astiterint, à quibusdam comminiscitur. Et quod in quadam Epistola in hanc sententiam lusi,

Riseris ergo Deûm me vrbem dixisse, loquuntur
Nostri hoc à Diuis nomen habere tribus,
Seu quòd condiderint tres Diui, seu sator illa
Sūpserit auspicio, numina trina suo.

Opinor potiùs nos priscorū illorum Diuitensium esse genus, coloniam, seu prosapiam, quorum vrbem, B. Renanus *Diuitense Munimentum* appellat, ex veteribus scilicet inscriptionibus in ea inuentis.

Quę olim gens prætotens & populoſa. Dę qua Ammianus lib. 27. *His iam propinquantibus, ipſe Procopius à Nicea regreſſus, qui nuper aduenerat, cum Diuitenſibus deſertorúmque plebe promiſcua, quam dierum ferè ſex ſpatio congregarat, vixdum accelerauit.* Et alio loco eodem libro, *Diuitenſes Tungritanóſque iuniores ad procinctum vrgentem per Thracias inter alios celerare diſpoſitos, & Conſtantinopoli moraturos, ſolemniter biduum per quoſdam ex iiſdem numeris notos ſollicitare properans, quia cum omnibus loqui periculoſum erat & arduum, fidem paucorum elegit.* Et lib. 27. *Horum portioni primæ Carieto tunc per vtrãque Germaniam comes occurſurus cum milite egreditur ad bella ineunda, promptiſſimo aſcito ad ſocietatem laboris, Seueriano, itidem comite inualido, & longæuo,*

qui apud Calydona Diuitēſibus præſidebat & Tungritanis. A quibus fortaſſe & Diuitiacus ille Æduus, frater Dumnorigis, & Diuitiacus Sueſſionis Rex, & Diuico apud Cæſarem; qui ſi noſtræ iſtius vrbis, in ſuis Cōmentariis nominatim non meminit, non iccirco putandum, eius tempore nondum caput extuliſſe, cùm & complurium aliarum, quarum origo multis ante eum annis repetitur, non meminerit. Ne ipſorum quidem Diuitenſium, qui ad Renum; nec Diuioduri, quæ hodie Mediomatricum ciuitas, Tacito, Ptolomęo, Ortelio; & in his noſtris regionibus, æſtatem tantummodo vnam egerit, qua duo bella maxima confecit, Heluetiorum vnū, alterum Ariouiſti: Sequanorum porrò vnam duntaxat vrbem, *Vezontionem* de-

ſcribat, cùm ipſe dicat multas, & alias ex Sequanis ſub iſtius ditione fuiſſe, quæ partim cum Hęduis ſentiebant, partim in fœdus Arioui-ſti tranſiuerant. Adiuuátque hanc meam opinionem mirum in modum illud DIVITENSIS MVNIMENTI nomen, vt quod vrbs noſtra quaſi propinquitate, & ex traduce, ſibi aſciuerit & retinuerit, CASTELLVM ſcilicet (quod idem eſt ac MVNIMENTVM) DIVIONENSE, in initio dicta, vt tetigimus ex Gregorio, & apud alios patet: Et quòd in hiſtoria Diui Benigni, quam habeo manuſcriptam necdum excuſam, inueniatur, non condidiſſe Aurelianum, hoc Caſtellum Diuionenſe, ſed ingreſſum eſſe, iam famoſum, & celebre oppidum. Porrò quòd in

chartis Ptolomæi quibuſdam noſtra etiam vrbs Diuitẽſe oppidum appellètur. Sítque facile colligere, Diuitenſes illos populum potentem priùs ad Rhenum, qui in longinquas prouincias excurrere ſolebant, & exuberare per Colonias, in his regionibus, non ita remotis, ſtruxiſſe vrbem ſui nominis, qui mos erat Gallorum, & ferè omniũ, vrbibus quas condebant in lõginquis oris, ſuarum à quibus erant oriundi, nomina indere.

Et certũ eſt maximos olim Gallorum fuiſſe proceſſus, magnum nomen, vndique etiam à regibus & prouinciis exteris, vbi aliqua difficultas emergebat, ab iis conquiſita auxilia, & ſuorum præſertim equitum, quos habebant mercenarios, vti hodie Germani quos vocant *Reiſtres*, quos con-

trà in periculis nostris aduocamus, cùm illi priscos nostros aduocare solerent. Quod Iustinus libro 24. suæ Epitomes, *Quanquàm Gallorum ea tempestate tantæ fœcunditatis iuuentus fuit, vt Asiam omnem, tanquam examine aliquo implerent. Denique Reges Orientis, sine mercenario Gallorum exercitu, nulla bella gesserint, neque pulsi regno, ad alios quàm ad Gallos profugerint. Tantus terror Gallici nominis, siue armorum inuicta fœlicitas erat, vt aliter neque maiestatem suam tutam, neque amissam recuperare se posse sine Gallica virtute arbitrarentur.* Et Polybius de Gallis ad Rhodanum, qui propriè nostri Sequani, *Quapropter, maximæ illæ gentes Insubrium & Boiorum inter se consentientes confestim ad eos Gallos*

mittunt qui trans Alpes ad Rhodanum habitant, & propterea quod mercenariam militiam obeunt, Gessatæ vocantur. Nempe in Cæsaris copiis contra Pompeium erant Galli: ipse in de bello Ciuili lib. 2. *Cæsar legiones in Hispaniam præmiserat ad sex millia peditum, equitum tria millia, quæ omnibus superioribus bellis habuerat, & parem ex Gallia numerum, quem ipse petiuerat nominatim ex omnibus ciuitatibus, nobilissimo & fortissimo quoque euocato, ac optimi generis homines ex Aquitanis Montanísque* (nota hîc *Vascos* qui nostra lingua *Gascons*) *qui Galliam prouinciam attingunt*. Erant in exercitu Pompeij filij, qui & antè præsidij causa apud Ptolomæum Regem Ægypti, eodem de bello ciuili li. 2. *Gallos Germanósque quos ibi A. Gabinius præsidij causa apud Regem*

Pto-

Ptolomæum reliquerat, Pompeius filius cum classe adduxerat D. C C C. *quos ex seruis suis pastorúmque suorum collegerat.* Erant in copiis Iubæ: eodem quoque loco. Erant in Antonij, aduersus Phraatem, apud Appianũ in Parthicis, vbi Flauij Galli virtutem incredibilem in hostibus Antonij propulsandis effert, qui postea quatuor sagittis confixus, mortuus inuentus sit ex vulneribus. Erant in Hamilcaris: idem Appianus in de bello Hispaniensi, *Hamilcar, cognomento Barcha, quo tempore Carthaginensium dux fuerat in Sicilia, magna præmia Celtis, qui sub eo stipendia fecerant, itémque Pœnis militibus, qui ei auxilio venerant, promiserat.* In Mithridatis, apud eundem Appianum in Mithridaticis, vbi memoratur Bituitus quidam Gallus, qui Mi-

thridati extremas attulit manus, ad id adductus, ipsius Mithridatis precibus: vbi quoque narratur, Mithridatem ad extremum, cum se ab omnibus deseri videret, cogitasse de profugio in Galliam, *Rex tot liberis, tot castellis, totóque regno spoliatus, dignitate quoque amissa & spe auxiliorum, è Scythia, tamen ne tum quidem quicquam humile, aut præsenti calamitate dignum cogitabat, sed ad Gallos quorum iam antè hac de caussa parauerat amicitias, iter destinabat, vt cum eis per Alpes Italiam inuaderet.*

Seruitia porrò; (sic enim seruos Sallustius appellat.) *Interea seruitia repudiabat.* Et Cicer. in Catilinam, *Gallos accersiuit, seruitia conciliauit,* illis, quemadmodum & ve-

teribus Romanis, innumera, patet ex his quæ de Orgentorige, qui ad hos pertinebat, narrat Cæſar, illum cùm ad iudicium vocaretur, omnẽ ſuam familiam, ad hominum millia decem, vndique coegiſſe, omnes clientes, obæratóſque ſuos, quorum magnum numerum habebat, pérque eos ne cauſſam diceret, ſe eripuiſſe, & de Accantuano ſexcentenos eum habuiſſe deuotos; quorum conditionem dicit, vt omnibus in vita commodis, vnà cum his fruerentur, quorum ſe amicitiæ dedidiſſent, ſi quid eis per vim accideret, aut eundem caſum vnà ferrent, aut ſibi mortẽ conſciſcerent, neque adhuc hominũ memoria, repertũ quẽquam,

qui eo interfecto, cuius se amicitiæ deuouisset, mori recusasset, vocatque *Soldurios*, alibi *Ambactos*, in lib. VI. *Atque eorum vt quisque est genere & copiis amplißimus, ita plurimos circum se Ambactos clientésque habet.* A quibus deinde *Coloni* ex plebe, quam omnem, alio loco narrat Cæsar, ferè seruorum loco fuisse, & quod apud Ciceronem in Oratione pro Fonteio. Qui ad multam ætatem & in Gallia nostra & in aliis regionibus, quippe cum apud Sidonium, qui vixit temporibus Theodorici Regis Italiæ, cuius mores atque habitum describit, item Clodouæi, de his fiat mentio, Epist. lib. 5. epist. 19. ad Pudentem, qua rogat Pudentem, vt pro domino, hoc est, vti dominus, soluat inquilinatu quendam stupratorem filię suę nutricis, quo colonariam

desinat habere personã, plebeiam suscipiat, ac sic liberè, & iure optimo, matrimonium contrahat, quã, quia ad hoc elegans, hîc adscribendam duxi: *Nutricis meæ filiam filius tuæ rapuit, facinus indignum, quódque vos nósque inimicasset, nisi protinus scissem, te nescisse faciendum: sed conscientiæ meæ purgatione prælata, petere dignaris culpæ calentis impunitatem. Sub conditione concedo, si stupratorem pro domino, iam patronus, originali soluas inquilinatu. Mulier autem illa iam libera est, quæ tum demum videbitur non ludibrio addicta, sed assumpta coniugio, si reus noster, pro quo precaris, mox cliens factus, è tributario, plebeiam potius incipiet habere personam, quàm colonariam. nam meam hæc sola seu compositio, seu satisfactio, vel non mediocriter, contumeliam emendat, qui tuis votis, atque amicitiis,*

hoc adquiesco, si laxat libertas maritum, ne constringat pœna raptorem. Prosténtque in legibus Caroli, & Longobardorum plures tituli de seruis, scilicet *de ordinatione seruorum, de seruis propriis & ancillis, de liberis hominibus ad seruitium dei, hoc est religiosorum, & ecclesiasticorum, se tradentibus, de hominibus diuersarum conditionum, & de iis qui eis prælati sunt.* Et in decretalibus sit titulus *de Coniugiis seruorũ*, vbi sunt decreta Alexandri sexti, qui vixit anno millesimo cẽtesimo sexagesimo octauo. Vrbani, qui vixit anno millesimo, cẽtesimo octuagesimo quinto. Innocentij, qui anno millesimocentesimo nonagesimo octauo. In placitis etiam Senatus Neapolitani constitutiones Friderici de seruis, & ancillis, qui Fridericus vixit anno millesimo ducen-

resimo duodecimo. Et qui nostris illis veterib', *Lidi & Fiscalini*, ad exemplũ *Aldiarum*. In Italia in illis legibus Caroli li.3.cap.2. *Aldiones, vel Aldianæ ea lege viuunt in Italia in seruitute dominorum suorũ, qua Fiscalini vel Lidi viuunt in Francia.* A quo vocabulo quod vocamus, *Frãc aleud*. De quibus Aldionibus seu Aldiis in legib. Longobardorũ, li.1. tit. de Conuitiis Aldiarum, *Nullus præsumat Aldiã aut ancillã aliẽnã, qua si stringã, quã vulg' dicit, aut mascã, occidere. Quod Christianis mẽtib' nullatenus credẽdũ est, nec possibile, vt* quęlibet hoĩem viuũ intrinsecus possit comedere. Qui locus admonet infestas aliquando fuisse huiusmodi Aldias, suspectásq; horrẽdi isti' facinoris, ꝙ scilicet viuos hoĩes deglu berẽt: quẽadmodũ Arist. Ethic. 7. c.7. fœminę nescio cui' mẽtionẽ

ingerit, quam ferebãt natos in matrum aluo comedere, & in hunc modũ grauidas à partus difficultatibus soluere, λέγω δὲ τὰς θηριώδεις, οἷον τὴν ἄνθρωπον, ἣν λέγουσι, τὰς κύουσας αὐχίζουσαι, τὰ παίδια καθεσθιεῖν. Quas iccirco dicebant *mascas & stringas*, verba malè ominata & procerita, & qualia hodie mulieribus maleficis, & sagis imponimus, in quas iccirco & sub hoc prætextu liberè & impunè liceret cuique sæuire: vti legimus apud Plutarchum, & apud Thucydidem, de bello Peloponesiaco, legem fuisse Lycurgi, *Cryptia* dictam, qua licebat Lacedæmoniis sæuire in suos Ilotas, qui illis atque Italis, isti Aldij, seu Aldiæ, nostris Gallis priscis Lidi, Thessalis πενέσται, Cretensibus περίοικοι. A qua tamen immanitatis opinione Lycur-

gum vendicat Plutarchus, aítque nusquam talem eum tulisse legem, nec cœpisse inter Lacedæmonios istam barbariẽ, nisi post magnum terræmotum, qui Spartę contigit, cùm Ilotę per id tempus cum Messeniis in Spartam arma sumpsissent, prędas egissent tota regione, vrbem denique in magnum discrimen adduxissent, hanc scilicet iniuriam, Spartanos, hac sæuitia, atque crudelitate, postmodum in suos Ilotas vindicasse.

Ad exẽplum etiam isti Lidi Colonorum, de quibus sub titulis *de Colonis Thracensibus, de Colonis Palestinis, de Colonis Illyricianis libro xj. Cod.* Qui scilicet originario iure tenebantur, nec habebant vagandi, & recedendi quò libuisset potestatem. *Et adscriptitiorum*, de quibus in titul. *de agric. & cens.*

C. libro x. Et in quadam constitutione Iustiniani quæ est apud Iulianum antecessorem *de Ascriptitiis & colonis*, quã Haloander intelligit de Colonis Lugdunensibus, ex istis verbis: *Docuerunt nostram serenitatem Lygdunensium habitatores*, vbi vult legendum *Lugdunensium*, quod tamen secus alij, nempe de Lygdunensibus, hoc est de aliqua vrbe Illyriæ Lygdus dicta, cum de Illyricianis, postmodum in ea constitutione fiat mentio. Quibus adstipulor. Cuiusmodi etiam in hac nostra Burgundia passim erant sub dominis ante annum millesimum trecentesimum vicesimum quintum. Cùm instrumenta multa & varia legerim recognitionum, vt appellant, ante hoc tempus, Colonorum, qui se homines dominorum

ſuorum profiterentur, dominis ſuis ſe planè adſtrictos, & eius conditionis, vt perpetuo ipſi, & eorum liberi, ſub dominorum ditione manere deberent, non poſſent recedere: Quod ſi recederent, poteſtatem haberent domini, vbicunque eos inuenirent, comprehendendi, & ad ſuas terras & poſſeſſiones retrahendi, eorum miſericordiæ & voluntati, (ſic enim habet vetuſtum vnum dominorum de Iaulcourt, anni milleſimi trecenteſimi viceſimi tertij,) perſonis ſuis, & corporibus expoſitis. Vt ſeriùs deſiuerint Colonariæ iſtæ ſeruitutes, in hac noſtra patria, quàm in aliis, ferè prouinciis, ſub orbe Romano, cũ Barthol. qui vixit anno milleſimo trecẽteſimo vno, in l. hoſtes.

ff. de capt. & poſtli. referat ſua ætate iam nullas fuiſſe, nempe quo tempore Mahumedes Arabs, aliâs Homarus, ſuę religionis omnes ad pileum vocauit, ad cuius exemplum Chriſtiani deinde principes, non modo ſuæ religionis, ſed in quo ſuperarunt Homarum, omnes quoſcunque. Quod tamen non probat Ioannes Bodinus, [redacted], nec Pontus Tyardæus, vir [redacted] eximius, & paucis comparandus, cum quo ante aliquot annos, cùm de his ſermonem haberem Cabilone, memini illum mihi ſuá ſententiam dixiſſe, nimirum vtile fore Reipublicæ, vt ſaltem è Turcis, & infidelibus, mancipia, & ſeruos haberemus, quemadmodum illi habent ex nobis, & maximè ex illis Illyricianis, qui hodie Sclauoni, à quibus mancípia illorum &

ſerui, *Eſclaues*, vt quia frequentes & maximè eius generis,erant olim è Dacia, (quę regio qua ad ortum tendit, iſti contermina) ab hac Athenis.& paſſim, vocabantur ferè omnes ſerui Daui,quod eſt idem ac Daci, (vt ait Strabo.)imò planè non deſierunt, cùm eorum loco, & veluti iis ſuffecti ſint, homines *manuſmortuæ*, quos vocamus, qui etſi ſerui corpore dicantur non eſſe, verbis noſtri ſtatuti,ſunt tamen reuera, quandiu ſub dominis manent, & ſuis poſſeſſionibus inhærent,atque in Comitatu Niuernenſi (quod Ducatus noſtri olim ſub feudum, nempe à quo Ioannes Philippi Audacis filius,Comes Niuernenſis,) ſint etiam nominatim ſerui corpore, atque in eorum cõſuetudinibus titulus *de ſeruitutibus corporalibus*. Porrò ruſtici iſthîc a-

pud nos oēs, prętet eos, qui priuilegiis,ſiue pragmaticis,& longo vſu,ſibi ius cōmunitatis acquiſierūt, & ius defenſores habēdi, & ſyndicos,ſeu maiores, vulgò dicātur *homines poteſtatis*, quod textus noſtræ conſuetudinis, *gens de poüeté*, vti & in libris noſtris iuris, Gallicè redditis, titulus *de patria poteſtate* vertitur *de la poüeté paternelle.* Cuius me admonuit *Ioannes Morellus*, vir literis omnibus apprimè tinctus, & de nota meliore, mihi amiciſſim', vt qui ſcilicet & coire, & in vnum cōuenire non poſſint, conſilia inire de rebus ſuis, ſibi collectas indicere, niſi prius venia à domino petita,quam tamen ipſi domini tenētur dare. In quibus tam terris, barbaris,inhumanis, antiquādis & expūgendis,vt ſeruitutem illam priſcam redolentibus, imò retinenti-

bus, potiùs Nouatores noſtri inſudare debebant, quàm in tollendis ſuis vndecumq;, abalienandíſque à ſeipſis, & ſua ipſorum gente, & ſtirpe, conſanguineis, quã in diſparitatibus inducendis, ex quibus litium ſeges.

Itaque eſt dicendum *huic Flauio Veteri*, cuius detrũcatam illã imaginem, ſeu ſtatuam eſſe puto, huius fortè vrbis tunc principi, aut præpotẽti ciui, qui Romanis, aut Aſiatico alicui regi, ſuppetias fortè iecrat, copiáſque duxerat, ſua ad hoc Fortunæ templum ſeruitia, cuiuſcunque generis, votum nuncupaſſe, pro itu, & reditu, vt eum ſeruaret Fortuna Redux, omnes etiã alij dij, atque imprimis Iupiter, vt incolumem eum in patriam reducerent, quale ferè & illud.

I. O. M. ET
GENIO. P. R. ET VENALIC.
IL. RVBRI ANTIOCHVS
ET HYMNVS ET CC
LAPPI MVTILVS ET
RVFVS.

VOTVM SOLVERVNT.
L. M. L. VIRGINIO RVFO
COS. C. MEMMIO REGVLO.

Item istud,
I. O. M. ET.
GENIO VENALIC.
PACILIVS CERDO
VOTVM SOLVIT
NERONE CAESARE
AVGVS. IIII.
COSSO LENTVLO COSSI F.
COS.

Nimi-

Nimirum ſeruitiorum omne genus vota, ſuorum dominorum nataliciis.

Sed ecce dum receptui cano, & has foſſas claudo, è foſſa alia, temerè facta, è regione, qui deſiderabatur, ſeruus ille Actor, *Numerius Carantillus*, iam nomine auctus, nimirum pro Numerio, Numerianus, veluti ille apud Virgilium in Didonis Regia Æneas, nube antè opertus, cum his infit,

-- coram quem quæritis adſum
Troius Æneas, Libycis ereptus ab vndis, lacer ora, ſed integris auribus, capillo, vt ſuam etiam Actoris, dignitatem retineat, cum hac inſcriptione.

DIANVS. CARANTI.

Nempe à qua cum parte lapidis, primæ iſtæ literæ N V M E R, abſcerptæ, & detruncatæ, en nobis de grege omnes alij, ex eadem foſſa, ſerui, in ſingulis lapidibus, bini, & trini, inſculpti, vt hoc ſe gregales notent, ancillæ ſeu ſeruæ duæ, dextra pixidem (vt videtur vnguentariam, ſiniſtra, calathos fructibus & bellariis plenos geſtantes, vt Ciniflones, ſeu vnctrices intelligas, ad quarum vnam hęc inſcriptio:

D D
M.
LVCILLA
POTENTINI

En pyramides quoque duæ, totæ, atque integrę, cum hac inſcriptione, Vna:

MONVMENTVM
IVNIANI

OXPIPHI

Cum iſta altera:

D. M.
HILARVS DR.
C. C AE.

Quid vis dicã? Putabam in aliquibus me fabulã impoſuiſſe Herculi, (nam nuſquam tam bono capiti fibulã) ſed ſe res ipſa comprobauit. Ipſe actor ſibi, & gregalis illi, gregales alij, priuſquam hoc à me abiret ſcriptum, fidem attulerunt. Ipſa ſe templi Fortunæ prodidit moles, nempe Scotia, ſtyli, Cymatia, triglyphi, ſtriæ, columnæ,

intercolumnia, hyporrachelia plinthi, epistylia, eminula omnia, vt quæ in magnis, atque operosis templis, ferè extracta integra, prostant, visuntur omnibus, & se sua huius tam magnæ quoque molis voti, rudera. Omisi dum nostræ vrbis originem tetigi situm scribere, & de Rena (nempè vxore Rheni ἀχολάστου λέχους vindicis) qui præterfluit, Oschara, qui à meridie alluit, Susione potentissimo, qui temerè & non expectatus, aduenit, (ὡς ἐπερχόμενος) qui prçterfluit, & alluit, & de quo intelligunt Ammoinus, & Gregorius, cum tamen non nominent, aliqua admiscere, sed me istud de hoc Susione, ominosum, deterruit, *Diuio Susione peribit*, ne per ludibrium dictum, & acceptum, tandem aliquando seriò vertat, vt Edessæ quod etiam

per ludibrium, de ſimili fluuiolo, σκυρτος dicto, apud eos ferebatur, σκυρτος πόταμος κακὰ σκυρτάζει ταῖς πολίταις. Quo ſcilicet tandem euerſa Edeſſa & obruta, per luxum noſtrum & nimiam qua nepotimus ſuperbiam, ſed Deus meliora.

Hæc habui quæ ad te ſcriberem: tu ſi mauis vt cæteras vrbanas noſtras ineptias, ride. Placuit inſano indulgere labori, nec potui in his veteribus, nouiter compertis, eſſe aſymbolus. Bene vale, & me ama.

FINIS.

Vexatur miserè, propè & labascit,
En Fortuna Redux, redúxque nobis,
Nostro en rediuina tota sæclo,
Cluunt prospera, quæ secus, vanescunt.
Gaude Diuio, disce, prome, saxis,
Quod nullis potuisti adhuc tabellis,
Nullis historiis, librísque nullis,
Non tua Aurelianus Imperator,
Primus mœnia struxit, & Benigni
Non sunt sanguine consecrata primũ:
Vrbs verùm antè opulenta eras, potén∫que.
Sed non prospera te imputare, fas est,
Fortunæ fragili, vagæ, & rotanti:
Verum tota Deo, ipse permanens qui,
Fortuna est tibi, fors redux, redúxque.

DE QVADAM A MARITO propter Adulterij suspicionem interfecta.

Hic venus hic sita sum gemino cum pignore, quod te
Sim nimium damno, stulta secuta meo
Me meus occidit, multa iam nocte, maritus,
Dum vigilans insto, basia dumque peto.
Pendula, furtiuos, verbis dum mentior ignes
Dum malè nudatum, dissimuloque scelus
Abstulit ille ast animam, animæ, haud abstraxit amorem
Quique animæ melior, pars fuit antè meæ
Nam leuis insequitur viuum, & de nomine clamat
Moerenti, & moerens, ingemit inque dolet
Riuali, vir, parce tuo, tibi sanguine nostro
Sit satis heu crudas commaculasse manus
Nam quid proficeres? quos tu disiungere ferro
Tentasti, vnires, vir truculente, duos.

De Octacilio, & Fayo.

Vita dissimiles, moribus, & statu
Octacilius, & Fayus, hic iacent.
Amborum tumulum, vides viator.
Vnus liberior, pronior ad iocos,
Et passim nimiam diffugiens bilem:
Alter iudicij seuerioris.
Vnus ruris amans, & genialibus
Intentus studiis: alter in vrbibus
Degens, vitam habuit morosiorem.
Ambo, sed nimium dissimili modo
Perlustrati adytus, iura per intimos

Lux, & præsidium, forensis aura
Huiltam dißimiles, quid similes facit,
Ridens sardinium, sæua Cupidinum
Mater, nam senio premente, ductæ
Vxores iuuenes, exanimant senes,
Sic dum vita fuit, dißmiles duo
Sunt fato similes, viator ito.

IN OBITVM NOBILISSIMÆ & clarissimæ Heroinæ Franciscæ Rianæ nobilissimi atque illustrissimi Leonori Chabotij Franciæ protoscutarij Charnij Comitis

Ἐπικήδιον.

Nymphæ Sequanici ruris mollésque Napeæ
Naiades, & quæ riuis insistitis amnis
Oscharei, diuis sacri, quo Diuis diua
Alluitur, nitidi, & squamosa gente feracis
Nymphæ, Sequanici, præsentia numina ruris
Collibus innumeris culta, innumerísque latebris
Laruarum furno, stagnea adytísque Dianæ
Muscosis tophis, loca rara, vbi nectaris amnes
Perpetui, casiæque seges, thymbræque thymique,
Fragrantes violæ, ferrugineique hyacinthi
Et thus æternum, Nabathæáque balsama fundunt
Tota vbi Pæonio pallent autaria buxo.
Lumina chara oculis liquit Riana, Dianam
Dicere me potius decuit Latonida, Delphos
Quam colit, Orthygiæque nemus, saltúsque Lycæi
Quam deus Arcadiæ, Fani, Dryadésque puellæ
Heu obiit, terris vixdum monstrata, sororum
Altrix, Pegasiæ decus immortale cateruæ

Aetatis flore in primo, vt cum lucida Eoo
Cardine progreditur cœl. Tithonia, Soli
Prælucens, (quo cuncta in terris progenerantur)
Pallida cum Hesperias currus mox vergit in vndas,
Delitiæ (Nymphæ) vestra, cui Diua Dione
Aptarat formam, vocem cui Suada sonoram
Flexanima, alma Ceres cui cornu affuderat amplo
Omnia Amalthææ, sua cui Iunonia Iuno,
Cui casta ingenium Pallas, cui risum Ericinna,
Omnibus his donis ornata, & dotibus amplis
Fœmina magnorum titulis insignis auorum,
Heu obiit, siccis vos hæc feralia Nymphæ
Ergo oculis legitis? Quin prorsum exaudis Enippe,
Et non erumpis sinuoso è gurgite, totum
Castalium, & Pindi fauces, iuga sacra lycæi
Prosubigens prorsus, verténsque, hæc augur Apollo,
O cuius medicina inuentum est, ô qui opiféxque
Diceris orbe, tuæ fuit hæc tibi cura Dianæ?
Quæ te vtero excepit matris, quæ te macilentum
Fouit, quæ sæuo adiuuit serpente petitum?
Hircanæ viuunt tygres, lupus Appulus, auræ
Vescuntúrque lupæ ætherea, nec limina Ditis,
Quam saturæ, & vita plenæ, & iam sera reuisunt,
Quando ærumnarum tædet, prædæque fatiscunt,
Riana, haud potuit, ter denos molliter annos
Degere, tamque suis grata, & tã chara propinquis,
Qua non candidior, qua nulla venustior, orbe
Cognita vel toto, tulit hanc memorabile munus
Diuûm, quà aurifluis Burgundia cingitur vndis,
Nempe suo, pignus, multò pretiosius auro,
Qualem Triptolemum, (fas est componere multis
Illam namque viris,) docta Affrica, qui prior vnco,

Dum glandes Dodona negat, melioribus atque
Incumbit, tauris, tellurem inuertere, aratro
Fortibus edocuit, qualem cui terna Hecatombe,
Cœis mactatur scopulis, ob mella reperta,
Curatas pecudes, atque vsum dulcis oliui,
Insignem Libycóque mari, penitúsque recessu
Sardo: Si scire genus, si stemmata quaeris,
Longouij maternum, hos Turcus sentiit hostis
Sæpe Mahumetes, domus inclyta, clara trophæis,
Et ducibus magnis fœcunda, hasta atque galero,
Insignis, qualis forsan, quam nomine, refert
Gens inuicta, atque assiduis exercita bellis,
Macrobia arcitenens, Persen quæ prouida risit,
At patrium regùm alto à sanguine, qui Euduino,
Francica bella manu cogente, & sceptra tenente
Burgundis, quà tendit Arar, Rhodanique fluenta,
Et quà Chrysorhoë, latè amnes imperitabant
Nempe neocomi. nam quis discrimina gentis,
Prælia quis referat? quos prostrauere, perenni
Ista domus, virga viguit, rediuiuáque fudit
Pectora, vt auricomis Hecates, quæ fœtibus arbos
Est Erebi, ad fauces cuius non deficit vsquam,
Ramus, at auulso mox vno, adnascitur alter,
Aureus, & simili frondescit virga, metallo:
Arma horum sensit Calpe, Thule vltima, Tygris,
Signa & Idumæis posuere in montibus olim:
Robora Christiadæ, semper victricia turmæ,
Riano copulauit Hymen. puerilibus annis
Inuestem primùm, thalamis, inuidit Enyo,
Protinus iste etenim, periit, pugione sinistro,
Casu, arte, incertum tam tristia fata mariti:
Luxit amans coniux, sed vixdum mista puella,

Vixdum passa virum, roseis fera pectora palmis
Percussit, sciditque genas, & sumpsit amictus
Pullos, virgineo, haud apta integumenta nitori,
Magnanimo, auspiciis dextris, post iuncta CHABOTO
Te, melius, te sensit, hymen, nam coniuge tanto
Fœlix, dum cura est illi commissa Ducatus,
Dúmque tenet rerum molem, dum sceptra gubernat
Regia, diua, animis omnes deuinxit, & omnes
Miranda flexit dulcedine, quot benefactis,
Aduersis tuuit rebus? quæ gratia vultus,
Qui candor? memoranda in cæde potentum
Et populi, dum armis sæuit ignobile vulgus,
Illa virûm precibus variis inflectere corda,
Illa animos mites suadere, heu cæde cruenta,
Ne maculate manus, potius sed parcite victis,
Insontes seruate locos, scelerata vocetur
Syrte, verùm exors maneat Burgundia cædis:
Non Carli imperia hæc, seruat meliora VALESI
Alma domus, vindex pressorũ & quæ Hercule dex-
Parcere supplicibus semper, superare rebelles (tri,
Edocuit, mens venturorum nescia, tempus
Fortè & erit, magno quo Rex optauerit emptum
Pallanta, & quo has cædes, spolia ista, necésque
Oderit, infensus crudis, melioribus æquus.
Mascula, masculea, tandem dum prole parentem
Efficere illa virum optat, proh retinacula vitæ
Liquit, spem falsa, at pube, haud Francia, tanta,
Digna, viris quæ rara, viros, tamen vsque premebas
Fornix, sponda, tuo nimium in discrimine væcors
Alma ergo Idalio, iam iam exi, è colle Dione
Nectare odorato, crines perfusa fluentes
Adsis Melpomene, Clio inclyta, vos quoque Nymphæ

Nymphæ Sequanici præsentia numina ruris
Musæ Pegasides, Fauni, Dryadesque puellæ,
Pan nemorum custos, tuque Artemis, a ma ferarum
Venatrix, accincta colum, quam retculit ista
Nomine, reque, seu versare in pollice fusum
Esset opus, varias seu lana impingere formas,
Imprimis studiosa operum, superasse pudore,
Quam potuit, quicquid Castalio hæret, Pieróque,
Purpureo è narcisso, atque auricomo chrysantho
Extruite huic tumulum, violis perfundite funus,
Quo virtus tumulata iacet, quo vos quoque Nymphæ
Musæ, Naiades, nisi tollitis ora, iacetis.

IN OBITVN CLAVDII Richardi, Diuione Amanuensium Præpositi, viri ornatissimi atque integerrimi, parentis charissimi,

Ἐπικήδιον.

Liquisti has terras, genitor, nec te tua virtus
Nec pietas potuit meliori abscondere vitæ,
Dum te inter medios fluctus, intérque procellas
Vxori, natísque tuis, mors obuia, morte
Immiti eriperet, patria exclusum vrbe, domóque,
At si te in tumulo condi siuisset auorum?
Funera si, & lessus, lugubri ducere pompa
Saltem aliqua huic natis, starent solatia, nec te,
Iam, pater, immeritos, tam humili posuisse sepulchro
Tæderet, Cariis, magè dignum mausolæis.
Hæc tamen ampla tibi statuent, pietásque, fidésque,
Queis tu, inter varios luxisti, vt flammea lucet
Phœbe, inter stellas, seu magno vt splendidus axe

Pleiadas inter, nautis insigne Bootes
Aeternum his tremulis, viues ne posthuma nomen
Fama tuum, in tenues patietur abire fauillas,
Misceret cippo exili. Nam qui tua quaeret
Facta, hospes sexdenis, quos tu, (non amplius) annis
Egisti, pace exigua, grandique labore.
Saepe sinu inueniet viduas, te saepe misellos
Orphanos fouisse tuo, metuisse nefandum
Dedecus, & nusquam cuiquam nocuisse, nocentem
Diuitiis natum haud magnis, verum probitate
Magna, nec rerum penitus nec sortis egentem
Condigna, sed qui multos ope, reque iuuaris,
Viuos, & vita defunctos, munere clarus
Vrbis honorato, verum quod te occidit, & atrae
Obiectum inuidiae, iaculis confixit iniquis.
Sic meliora fere, manibus rapiuntur auaris,
Sic malus innocuos furor obruit. At tua tandem,
Haud pater, haud obitu violento spiritus ossa
Liquit, & extremos halitus, tua suggere coniux
Et nati potuere nouissima carpere mentis
Vota tuae, & gelidum lachrymarum rore cadauer
Spargere, solamen quamquam miserabile, maestis,
Nempe suos, qui cuncta oculis Deus aspicit amplis,
Et tegit, & nouit dirarum auferre ferarum
Vnguibus, & magna inuisos in mole tumultus,
Quando ruunt ciues in sese, atque omnia ferro
Miscentur, madet, & candet de sanguine, & igne
Tellus, terribili misere inflammata furore,
Ignibus eripere, & placidae mandare quieti,
Vt te te eripuit, vitae iam tramite, fissum.
Sic requiesce pater, tua dum tibi construit ingens
Fama per immensos, victurum nomen honores.

Interea & laruæ, & bubones, aggere ab isto,
Et vos (ô vacua quæ corpora fingitis umbra)
Este procul, nullis sunt hæc loca peruia spectris.
Hîc violæ, hîc flores, hyeme hic & vere comantes
Nascuntur rami semper fœlicis oliuæ.

In obitum IANÆ VIFÆ matris carifs.

Illustris IANA tribus (genitor,) tibi casta superstes
Defleuit, viduo, funera mœsta thoro.
Et sua, perpetuo meditata est, omnia vitæ
Aeternæ, referens, nil penitus fragili.
Hoc victoria te, te Bruti, hoc Porcia maior,
Quod non diriguit, sustinuitque simul.
Quòd patria excessit stante, & ne busta videret,
Vos patriæ mediis, vtraque capta, rogis.

Nobilifs. & clarifs. viro Dionysio Brulardo.

Gallia dum aduerso grassatur, sæua duello,
Inque sua irrumpit furialis viscera & atro
Cuncta igni infestat, dum se discordibus armis
Paßim conficiunt ciues, & lumine Mauors
Aspicit immiti ius, fas dum Ditis auari,
Immane heu, quicquid claustris furit, atq; Acherōte
Dirum habitat, stygia aut natat exitiale sub vnda,
Toto sese orbe effundit, stridétque per auras
Lanum, infœlici permiscens omnia letho
Excidia inter, funesti inter turbida belli
Claßica, Sequanicis en vt Brulartius aris
Iura agitat, veteri dudum iam iam obsita cœno
Antiquans, nigróque notans, vt priscus, obelo,
Magnus Aristarchus, doctis hinc notus Athenis,
Libera, per quæ habeant, eam patres vota, suaque
Arbitrium sorti, non iure his, ante negatum,
Vti, etiámque velint orbi innuptique relinquant

De re quiquè sua, liceat præponere amicos
Agnatis, qui sæpe infidi, & ad omne parati
Exilium, quando est Fortunæ portio, qua se
Fraudari non posse sciunt, superet modo, & istam
Vacordes tollant, sprèta de gente, saburram
Cætera non curant, interdum & dira minantur.
Hæc eadem statuit Solon, hæc iura Quirites
Seruauere diu, æratis insculpta tabellis
Firma manent hodieque, & iuris maxima pars sunt
Cæsarei, cunctis quo stat firmißima morum
Regula, vt æterno propè concita pagina flatu
Non satis hæc, quo sancta Themis quo diua Deorum
Consultrix, dignè hic habitet, proh diruta sacra,
Fundamenta domus reparat, lapsa erigit, ingens
Iustitiæ antistes, ac si noua mœnia rursum
Cecropiæ, extrueret, salua aut Capitolia, Roma
Non Parium valuis deest marmor, non Elephantus,
Gangaridum merx rara, & acutis lucida pennis
Sardonyche & nubes, summa qui cuspide tangat
Gemmeus, illususque auro per labra, colossus
Mira, pelusiaci, monstris æquanda Canopi.
Quid faciat, totum qui sese hoc turbine rerum
Vouit iustitiæ? prorsus qui pectore ab imo
Nil nisi iustitiam respirat, quo duce, nullos
Crudeles patria hæc fœlix experta triumphos
Nectareum libat dextro altitonante liquorem.
Salue Sequanici lux, ô columenque, Senatus,
Auspice quo in tuto est Respublica, quo duce pauper
Diuitis insidias iam non formidat & horret
Otia quo, & pax, florescunt, hic vltima terris
Iustitia excedens, tecum vestigia fixit.

FINIS.

